Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Epistola ad Galathas: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari. Nichil enim minus feci ab hiis qui sunt supra modum apostoli, tamen et si nichil sum. Signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, signis et prodigiis et virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis pre ceteris ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate michi hanc iniuriam.

XIII

Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quero que vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendar et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar. Sed esto. Ego vos non gravavi. Sed cum essem astutus dolo vos cepi. Numquid per aliquem eorum quos misi ad vos circumveni vos? Rogavi Titum et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus? Nonne eisdem vestigiis? Olim putatis quod excusemus nos apud vos. Coram deo in Christo loquimur. Omnia autem karissimi propter vestram edificationem. Timeo enim ne forte cum venero non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, emulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos, ne iterum cum venero humiliet me deus apud vos, et lugeam multos ex hiis qui ante peccaverunt et non egerunt penitentiam super inmundicia et fornicatione et inpudicitia quam gesserunt.

XIIII

Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Predixi et predico ut presens bis et nunc absens hiis qui ante peccaverunt et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam. An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute dei. Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute dei in vobis. Vos metipsos temptate si estis in fide; ipsi vos probate. An non cognoscitis vos ipsos quia Christus Ihesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi. Oramus autem deum ut nichil mali faciatis, non ut nos probati pareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus vestram consummationem. Ideo hec absens scribo ut non presens durius agam secundum potestatem quam dominus dedit michi in edificationem et non in destructionem vestram. De cetero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et deus dilectionis et pacis erit vobiscum. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos sancti omnes. Gratia domini nostri Ihesu Christi et caritas dei et communicatio sancti spiritus cum omnibus vobis. Amen. Explicit epistola II ad Corinthios. Incipit prologus ad Galathas.

Galathe sunt greci. Hii verbum veritatis primum ab apostolo acceperunt

s; post discessum eius temptati sunt a fal
sis apostolis · ut in legem et circumcisionem
uerterentur · Hos apostolus reuocat ad fidem
ueritatis scribens eis ab epheso · Explicit
prologus · Incipit epistola ad Galathas ·

Paulus
apostolus non ab
hominibus neque
per hominem ·
sed per ihesum christum
et deum patrem
qui suscita-
uit eum a
mortuis · et qui mecum sunt omnes fratres ·
ecclesiis galatie gratia uobis · et pax a deo pa-
tre nostro et domino ihesu christo · qui dedit semet-
ipsum pro peccatis nostris ut eriperet nos de pre-
senti seculo nequam · secundum uoluntatem
dei et patris nostri · cui est gloria in secula secu-
lorum · amen · Miror quod sic tam cito trans-
feremini ab eo qui uos uocauit in gratiam
christi in aliud euangelium quod non est aliud
nisi sunt aliqui qui uos conturbant · et
uolunt conuertere euangelium christi · Sed licet nos aut
angelus de celo euangelizet uobis preter
quam quod euangelizauimus uobis anathe-
ma sit · Sicut prediximus · et nunc iterum
dico · Si quis uobis euangelizauerit preter
id quod accepistis anathema sit · Modo
enim hominibus suadeo aut deo · Aut quero
hominibus placere · Si adhuc hominibus pla-
cerem · christi seruus non essem · Notum enim uobis
facio fratres euangelium quod euangelizatum est a
me · quia non est secundum hominem · Neque enim ego
ab homine accepi illud · neque didici · sed
per reuelationem ihesu christi · Audistis enim
conuersationem meam aliquando in iudaismo ·
quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei · et
expugnabam illam · et proficiebam in
iudaismo supra multos coetaneos meos in
genere meo · habundantius emulator existens
paternarum mearum traditionum · Cum autem
placuit ei qui me segregauit de utero matris
mee · et uocauit per gratiam suam · ut reuela-
ret filium suum in me ut euangelizarem
illum in gentibus · continuo non acquieui car-
ni et sanguini · neque ueni ierosolimam ad
antecessores meos apostolos · sed abii in arabiam
et iterum reuersus sum damascum · Deinde
post annos tres ueni ierosolimam uidere pe-
trum · et mansi apud eum diebus quindeci ·
Alium autem apostolorum uidi neminem nisi iacobum
fratrem domini · Que autem scribo uobis · ecce coram
deo quia non mentior · Deinde ueni in partes
syrie et cilicie · Eram autem ignotus facie
ecclesiis iudee que erant in christo · Tantum
autem auditum habebant quoniam qui persequebatur
nos aliquando · nunc euangelizat fidem ·
quam aliquando expugnabat · et in me glorificabant deum ·

II

Deinde
post annos quatuordecim iterum
ascendi ierosolimam cum barnaba assump-
to et tyto · Ascendi autem secundum reuelationem
et contuli cum illis euangelium dei quod predico
in gentibus · seorsum autem hiis qui uide-
bantur aliquid esse · ne forte in uacuum
currerem aut cucurrissem · Sed neque tytus
qui mecum erat cum esset gentilis conpulsus
est circumcidi · sed propter introductos falsos fratres ·
qui introierunt explorare libertatem no-
stram quam habemus in christo ihesu · ut nos in
seruitutem redigerent · in quibus neque ad ho-
ram cessimus subiectioni · ut ueritas euangelii
permaneat apud nos · Ab hiis autem qui
uidebantur aliquid esse quales aliquando fue-
rint · nichil mea interest · Deus personam ho- (marg.: enim †)
minis non accipit · Michi enim qui uide-
bantur esse aliquid · nichil contulerunt · sed econtra